

dinario nostro Venerando, Magnifico Dn. Strausio, Jcto consummatissimo habita MDCXCI. de actionibus feudalibus.

CAPUT XXV.
DE
JUDICIO, ET PROCESSU
FEUDALI.

I.

Priusquam de Judice causarum feudalium solliciti sumus, nosse debemus, quænam causæ, seu controversiæ feudales proprie sint, & dicantur. Qua in re ita sentimus, *causam, vel controversiam feudalem eam esse, quæ inter duas pluresve personas qualitate feudali præditas de re, vel factò feudali coram judice feudali agitur.* Qualitas autem illa feudalis nascitur ex relatione inter rem, & personas, dominum & vasallum, deinde inter vasallos, qui eundem dominum in eadem Curia recognoscunt. *Schrader. de Feud. Part. X. Sect. 2. Rosentb. XII. 4. 24.* Qua de causa, si lis inter vasallum, & extraneum vertatur, causa & active & passive feudalis proprie non est. *Schwanemann. Observ. Cam. n. 11. 12. Cragius de F. L. III. §. ult. p. 378.*

*Quænam
causæ feu-
dalis.*

II. Quod si qualitas ista, atque relatio in dubium vocetur, seu negetur, non poterit causa pro feudali haberi, nec Judicio feudali esse locus, cum fundamentum hujus nexus feudalis nondum assertum sit, atque probatum. *Rosentb. XIV. 2. 8.* Neque tamen Judex feudalis hoc casu de sua competentia ipse cognoscere potest, quod alias licet per *L. 2. ff. si quis in Jus vocatus. L. 5. ff. de Judic.* quandoquidem hæc definitio ad Judices ordinarios & universales, non ad Judices certarum tantum causarum pertinet, *Cavelcanus Dec. XI. num. 17. Surdus Conf. 218.* Eundem ergo erit ad ordi-

*Quid si du-
bium, an
talis causa
sit?*

Aaaa 2

nari-